

- 14. *Hæc pecunia redimi nequit.*
- 15. *Ad dispensationem non procedendum nisi peractâ Oratori imposta penitentia.*
- 16. *Delegatus non potest dispensare, si praveat ex dispensatione oritura scandala.*



Interdum expediuntur in Curia Romana dispensationes in *forma pauperum*, ita dicta, quod non nisi pro pauperibus hujusmodi dispensationes expediuntur.

II. Unde in ipsis litteris dispensationis expressè supponitur & exprimitur hæc Oratorum qualitas his verbis: *Qui pauperes, & miserabiles existunt, & ex labore & industria sua tantum vivunt.*

III. Et quidem ad implendam hanc dispensationem requiritur *paupertas & miserabilitas* utriusque scilicet tam Oratoris quam Oratrici, ait Pyrrus Corradus *lib. 8. c. 5. n. 3.*

Debet autem hæc qualitas, quæ extrinseca est, probari; neque admittitur sola Oratorum assertio in Curia Romana; sed solet in his proferri testimonium Parochi alteriusve fide digni.

IV. In libello nuper Leodii impresso sub hoc titulo: *Manuale Pastorum compendiosè complectens Canones & Rituum Ecclesiasticos pro administrandis Sacramentis juxta usum Pastoralis Mechliniensis* pag. 192. extat formula ad scribendum testimonium pro iis qui egent dispensatione Sedis Apostolicæ titulo pauperatis, tenoris sequentis: "Ego, infrascriptus Rector Parochialis Ecclesiæ loci de N. sub districta Diocæsis N. scio & testificor NN. & NN, subditos præfata Parochialis Ecclesiæ esse orthodoxæ Romanæ fidei cultores, verum adeo pauperes, ut de suis labore & industria tantum vivant. In cujus fidei subscripti hæc... Mensis... Anni..."

V. Post hæc subjicitur duplex monitum. Primum super veritate ipsius paupertatis: "Attestatio hæc non est in ista forma expedienda, nisi ejus contenta nitantur veritate, & hæc habeatur, vel ex particulari notitia ipsiusmet Pastoris attestantis, vel ex testimoniis fide dignorum testium. Si omnia fuerit particula tantum, non utilis est attestatio ad finem qui intenditur."

VI. Alterum monitum concernit gradus affinitatis aut consanguinitatis qui inter Oratores intercedere dicuntur. Necessum etiam est (ait) ut Pastor antequam relaxet testimonium, quod Oratores sunt consanguinei vel affines, in tali vel tali gradu, exactè sit informatus de hujusmodi gradu, & quamdam ejus habeat certitudinem. Aliâ pauperes Oratores, expeditis Bullis juxta vitiosam gradus expressionem incidunt in varia incommoda.

VII. Admodum circumspècti esse debent Parochi in hujusmodi testimoniis expediendis, singulasque particulas serio & attentè expendere, atque maturè examinare, num prædicta formula per omnia, uti sonat, verificari queat.

Cum enim hæc formula semper inferatur, & coram Commissario, priusquam ad dispensationem procedere queat, verificari debeat, si tunc quo ad omnes suas partes verificari nequeat, dispensatio in simili forma obtenta suo effectu carebit, frequenter non sine multis impetrantium incommodis.

VIII. Notandum, quod juxta hodiernum stylum non sufficiat paupertas & miserabilitas Oratorum tempore supplicationis; sed ea adesse & probari debet, dum litteræ dispensationis à Commissario Apostolico eximuntur & executioni mandantur, uti observat Corradus loco citato *n. 30.*

IX. Hæc dispensationes solent expediri ob incestum prævium aut ejus vehementem suspicionem, ne ob copulam jam inter eos quovis modo subsequutam, aut illius suspicionem ortam, contingat eos cum animarum jactura, & cum gravi scandalo in simili copula, aut ejus suspitione perseverare ipsaq; Oratrix infamata & inupta remanere cogatur.

Quapropter in litteris in hac forma expeditis injungitur

Exequutori seu Commissario ut Oratores *ab invicem separet* idque sive agatur de contracto, sive contrahendo Matrimonio.

X. Quin in hac specie dispensationis singulare est ex declaratione Pauli V. ut si durante hæc indicta separatione, aut ante obtentum Decretum dispensationis Oratores se rursus carnaliter cognoverint, de novo recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro litteris *perinde valere*; uti monet Pyrrus Corradus *lib. 8. cap. 5. num. 38.* ubi & latè de hujusmodi litteris discuitur; variasque earum, pro varietate casuum, formulas proponit.

XI. Ulterius in hac dispensatione speciale est, quod Oratoribus ob incestum prævium per Exequutorem sive Commissarium debeat imponi *penitentia publica*, quod ita in litteris exprimi consuevit: *Eam illis penitentiam publicam imponas, quæ alios deterreat a similibus committendis.*

Non exprimitur quidem species penitentia publicæ; sed ea pro personarum, locorum ac criminis circumstantiis determinanda relinquitur Commissario; ita tamen publica esse debet, ait Corradus *lib. 8. cap. 6. n. 7.* "Ut omnibus ferè loci seu oppidi, aut civitatis, ubi ipsos Oratores hujusmodi penitentiam peragere contingit, innotescat."

Testatur quoque ibidem *num. 9.* consuetudine introductum, ut pro hujusmodi incestu & excessibus, in pluribus mundi partibus, tale scelus perpetrantibus, vigore dictarum litterarum injungatur, ut dum Missa solennis decantatur in Ecclesiâ Parochiali Oratorum, in suis manibus teneat unusquisque ipsorum candelam accensam.

XII. Hinc apparet, Ecclesiam Romanam in ea esse opinione, quod delicta publica etiam penitentia publicâ sine expiandis,atenus saltem, ut scandala reparentur; & alii à similibus committendis deterreantur, conformiter ad Decretum Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 8. De Reform.* de quo lauius supra *tit. 6. cap. 2.*

XIII. Occurrit deinde in hac specie dispensationis hoc singulare, quod Oratori injungi debeat à Commissario, *ut operam suam fabricæ, vel in aliud servitium alicujus Ecclesiæ vel pii loci, tribus saltem mensibus conferat.*

Hæc pœna imponitur in casu hujusmodi dispensationis, tam civilibus, quam vilibus personis, ut docet quotidiana praxis, ait Corradus loco citato *num. 15.*

XIV. Monet quoque ibidem *num. 16.* pœnam illam pecuniâ redimî non posse, nec per alium perfolvi; etiam si vellet solvere pecuniam alicui volenti dictam penitentiam pro ipso peragere: "Quod quidem (ait) optimâ ratione servatur; quia juxta dictum Isidori nullam reus pertimescit pœnam, quam scit pecuniâ posse redimere, per textum in *Canone PAUPER. caus. 1. q. 3.* Debet enim, qui tale scelus perpetrarunt castigari penitentia salutaribus & afflictivis, quæ non debent in aliud gravamen commutari, cum non sint res quæ delinquant, sed ipsæ personæ; & sic non debent puniri bursa, ubi sunt homines puniendi: quia crimina non sic debent transire impunita."

XV. Non poterit autem Commissarius ad dispensationem procedere, nisi publicâ penitentia, juxta præscriptam formam *integre* peractâ; etiam si Orator, quo ad operam suam conferendam, voluit præstare quantumcumque idoneam cautionem de ea conferenda post contractum Matrimonium (inquit Corradus *ibi num. 35.*) quia sicut Ordinis susceptio non debet concedi Clerico in publicâ penitentia existenti; ita ad Matrimonium transire non permittitur, ipsâ penitentia durante, ut habetur in Concilio Arelatensi *2. Can. 21.*

XVI. Denique in litteris hujusmodi dispensationis speciali modo committitur dispensatio arbitrio Exequutoris: post enim peractam penitentiam publicam, operamque præstitam, *demum* (ait Pontifex) *si tibi expediens videbitur, quod dispensatio hujusmodi sit eis concedenda; nec scandalum si ex eo oriturum.*

Itaque post omnia injuncta juxta tenorem litterarum peracta,

peracta, committitur arbitrio Exequutoris, an dispensari conveniat, ac præcipue an sine scandalo dispensatio concedi queat.

Et quamvis dispensatio quæcumque suspendi, imò Matrimonium impediri debeat, si sine scandalo fieri nequeat; ideoque etiam prædicta clausula non esset in litteris appositâ, nihilominus subintelligeretur; voluit hic tamen Papa exprimi, ut magis dignoscatur sua enixa voluntas, ait Pyrrus Corradus *lib. 8. cap. 6. n. 64.*

CAPUT VII.

De Dispensatione pro foro conscientia expedienda per Pœnitentiarium.

1. *Delegatus debet se super veritate contentorum in Bulla informare.*
2. *Quomodo hæc informatio fieri debeat.*
3. *Quid si ex informatione non innotescat falsitas narratorum, sed aliunde Delegato nota sit?*
4. *Dispensatio in solo foro interno suffragatur.*
5. *Commissarius dispensare nequit, nisi prius auditâ Oratoris Sacramentali Confessione.*
6. *Impedimentum debet esse occultum: & quando dicitur occultum?*
7. *Debet inquiri quod incommodum sit sequiturum, si non dispensetur.*
8. *Matrimonium de novo contrahi debet, sed prius de nullitate Matrimonii utriusque parti constare debet.*
9. *Hic magnâ circumspèctione Commissarius uti debet.*
10. *Consensus Matrimonialis non est renovandus coram Parocho & testibus.*
11. *Dispensatio hæc in solo foro conscientia prodesse potest.*
12. *Quam secretè hic omnia peragenda sint.*
13. *Qua ratione invalida censetur dispensatio, si littera dispensationis Oratoris restituantur?*



De forma & inscriptione dispensationum, quæ in Pœnitentiaria Romana expediuntur, aliqua diximus *parte prima tit. 23. cap. 3.* ubi de Pœnitentiario & Pœnitentiaria Romana egimus; hic pauca dumtaxat specialia in hac dispensatione occurrentia notabimus.

Clausula specialis occurrit, modum inquirendi super veritate narratorum continens, his verbis exprimi solita: *Si ita esse per diligentem Oratoris examinationem, ac post monitum & consilia opportuna illi præstita, inveniatur.*

II. Non debet ergo Delegatus se super veritate allegatorum informare auditis testibus; quemadmodum coniungit in dispensatione obtenta in Dataria, quæ etiam pro foro externo valet, sed sufficit, ut Delegatus diligenter examinet Oratores pro veritate expositorum, idque prævius monitis & consiliis opportunis; è quibus scilicet ipsi Oratores percipiant momentum hujus examinationis, quod à sincera vel non sincera expositione narratorum dependeat validitas vel invaliditas dispensationis, & inde consequens etiam validitas Matrimonii atque hinc ulterius dependeat, num forsan tota vita durante non sint victuri in perpetuo incestu cum evidenti periculo æternæ damnationis.

III. Sed quid si ex Oratoris examine ac interrogatione falsitas precum non deprehendatur; aliunde tamen illa Delegato innotuerit? Nullatenus dispensare poterit; dispensatio enim contingeret, quod fortè conjuges, aut alter eorum in perpetuo viverent incestu.

Accedit, quod cum hic petatur dispensatio occultè, nullum sit inconveniens si privata & occultâ scientiâ Delegatus utatur; præsertim cum præsumendum sit, Pontificem nolle dispensationem indulgere, quando revera causa dispensationis allegata non subsistit.

Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

IV. Tertia clausula exprimitur hæc formulâ: *Ita quod hujusmodi dispensatio & absolutio in foro judicario nullatenus suffragetur.*

Quapropter, si vel per Superiorem ex officio, vel à quocumque privato Matrimonii validitas in quæstionem ducatur, nullatenus dispensatio in Pœnitentiaria obtenta suffragabitur; sed quæstio discutienda & terminanda erit, ac si nulla dispensatio intervenisset.

V. Ex stylo hodierno additur: *Auditâ prius Oratoris Sacramentali Confessione, eundem hæc vice in forma Ecclesiæ consuetâ, & injunctâ ei penitentia absolvas.*

Per hanc clausulam jam sublatam est dubium olim à Doctoribus motum, num dispensationem præcedere deberet Confessio Sacramentalis: hanc enim præmittendam esse expressio hodierna istius clausulæ aperte supponit.

VI. Altera clausula in omnibus dispensationibus à Pœnitentiaria emanantibus est, *dummodo impedimentum ex præmissis proveniens sit occultum.*

Pro intellectu hujus clausulæ observandum quod dicit Pyrrus Corradus *lib. 7. cap. 7. num. 12.* "Non sufficit illud esse occultum, tantummodo tempore impetrationis dispensationis super eo; sed opus est, quod nullus adit timor, quod aliquo modo possit fieri publicum in futurum; & hæc enim major Pœnitentiarius remitteret supplicationem ad Datariam, ut Oratores petant secum dispensari ut utroque foro; quia non occultum, sed manifestum dicitur, quod potest probari, per gloss. in *cap. VESTRA*, in verbo, NOTORIUM *De Cohab. Cler. & mul.* Impedimentum autem occultum dicitur, quando non publicè constat nec facile constare potest, ac periculum non est, ut in foro externo detegatur."

VII. Post hæc eodem contextu in formula subditur: *Ea separatio inter latorem & dictam mulierem fieri non possit absq; scandalo, ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum esse tibi visum fuerit, aliudque Canonicum non obstat impedimentum.*

Dictio *dummodo* præcedens, cum quæ hæc clausula connectitur, latè ostendit, mentem Committentis esse, ut non dispensetur, nisi præmissa verificentur.

VIII. Sequitur deinde in formula: *Cum eodem latore, nã dicta muliere de nullitate prædicti consensû certiorata, sed ita cautè, ut lateris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo, secretè ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses.*

Ex hac clausula patet primum, quod si impedimentum undumtaxat partium notum sit, nequeat Matrimonium de novo contrahi, nisi prius altera pars de nullitate prioris consensû sit certiorata. Ratio illius facile colligi poterit ex dictis *cap. 7.*

IX. Magnâ hic prudentiâ ac circumspèctione opus est: unde merito Exequutor hic non tantum humana, sed vel maxime Divina consilia & auxilia adhibebit; recurrèndo ad Patrem Luminum, ut eum lumine suo illuminet, quid in casu adeo perplexo agere debeat.

X. Patet quoque ex eadem clausula, consensum hic non esse publicè renovandum coram Parocho & testibus, quemadmodum in casu dispensationis in Dataria expeditæ super impedimento non occulto; sed *secretè* inter partes renovari sufficiat; eo quod impedimentum sit *occultum*, & dispensatio pro solo foro interno. Imò hæc dispensatio non admittit, Matrimonium publicè coram Parocho & testibus renovari vigore ipsius dispensationis; quia omnia vult *secretissime* peragi, neque incommoda, quæ ex clandestinis Matrimonii timabantur, hic timeri possunt; uti bene notat Corradus *lib. 8. cap. 5. num. 43.*

XI. Essentialis differentia hujus dispensationis in Pœnitentiaria obtentæ, & dispensationis in Dataria expeditæ in hoc consistit, quod hæc valeat pro utroque foro; illa vero pro solo foro interno, ut his verbis exprimitur: *In foro conscientia, & in ipso actu confessionis TANTUM,*



Et non aliter, neq; ullo modo, ita quod hujusmodi abſolutio  
Et diſpenſatio in foro judiciario nullatenus ſuffragatur.

XII. Ut omnis occaſio utendi hac diſpenſatione in foro  
judiciario amputetur, additur: Nullus ſuper his adhibitis re-  
ſcribibus aut litteris datis, ſeu proceſſibus conſectis; preſen-  
tibus laniatis, quas ſub pœna excommunicationis lata  
ſententia laniare veneris, ita ut nullum illarum exem-  
plum extet, neque eas latori reſtituas; quod ſi reſtitueris  
nihil ipſi preſentes litteræ ſuffragentur.

Nulli ergo omnino teſtes in actu diſpenſationis interve-  
nire poſſunt; nec ullæ omnino litteræ etiam private qua-  
leſcumque dari de diſpenſatione facta; & multo minus proce-  
ſſus judicialis conſici, quibus quovis modo in foro exter-  
no hæc diſpenſatio probari poſſet. Et ne aliquod veſtigium  
ſeu indicium externum diſpenſationis ſuperſeſſet, litteras ita  
laniari mandat, ut nullum exemplum extet.

XIII. Quod addit in fine, quod ſi latori reſtituantur litteræ  
diſpenſationis, ipſi eadem litteræ nihil ſuffragentur, ſubin-  
telligitur, in foro externo, ut poſt Sanchez De Matrimonio  
lib. 8. Diſp. 34. n. 42. notat Marcus Paulus Leonis in Praxi Pen-  
nitentiariæ part. 2. c. 2. n. 88. ita ut ſi dictæ litteræ in prædicto  
foro exhibeantur, careant omni fide & probatione: quia illa  
eſt mens Magni Penitentiarii concedentis; nequaquam verò  
ut diſpenſatio facta fruſtretur ſuo effectu in foro conſciæ.

### CAPUT VIII.

Quæ circa diſpenſationes à Parocho popu-  
lo exponenda.

1. Parochus merito monet ut expendant, an ſubſit juſta  
cauſa petendi diſpenſationem.
2. Oſtendet quàm periculoſum ſit mediante diſpenſa-  
tione Matrimonium contrahere.
3. Diſpenſatio non ſemper reddit aliquem coram Deo  
ſecurum.
4. An ſatisfaciant dicendo, Pontifex judicet utrum ſit  
juſta cauſa. (artur.)
5. Inſtruedi quod non omnes cauſæ in Curia R. admittuntur.
6. Exponenda clauſula litteris inferi ſolita, Si preces  
veritate nitantur.
7. Monendi de clauſulis hujusmodi litterarum; necnon  
de juramento præſtando.
8. Litteræ in forma pauperum ſingulariter exponenda.
9. Notiæ formularum & clauſularum, quibus diſpenſa-  
tiones concipiuntur. Parochis admodum convenient.
10. Episcopi mandant à Parochis eas ſubinde populo ex-  
poni.

**I**n primis Parochus intelligens, aliquos  
e ſuis Parochianis meditari diſpenſa-  
tionem ſuper impedimento Matri-  
monii à Sede Apoſtolica petere, utili-  
ter eos monebit, ut ſerio expendant,  
an re verà coram Deo ſit juſta cauſa  
recedendi à Decretis & legibus Eccleſiæ.

II. Ut autem efficacius ad id expendendum moveat, oſ-  
tendet, quàm periculoſum ſit ſtatim aliquem aſſumere re-  
cedendo à regulis Eccleſiæ. Niſi enim cauſa talis ſit quæ Deo  
probetur, verendum, ne ob hunc à regulis Eccleſiæ reſeſ-  
ſum, ipſum Matrimonium etiam Divina benedictione fru-  
ſtretur: viſumque non rarò quàm infelix fuerit exitus eorū,  
qui neglectis ſacris Eccleſiæ ordinationibus vitæ condi-  
tionem elegerunt. Et quidem primum in Eccleſia Romana ex-  
citatum ſchiſma, in ordinationem auctoris ipſius ſchiſmatis  
diſpenſativè factam reſundere non dubitavit Cardinalis Ba-  
ronius, qui & illius occaſione hoc notandum & huic mate-  
riæ appoſitum monitum ſubjungit: "At planè ex facto No-  
vatiæ apparet, quanto periculo quaeratur per diſpenſa-  
tionem, quod eſt aliàs Eccleſiaſticis legibus interdictum."

Quam inſauſtus ſæpe ſit exitus Matrimoniorum medi-  
ante diſpenſatione, præſertim in gradu admodum propin-

quo, contractorum, quotidiana experientia fat notum eſt.

III. Ad hæc proponet Parochus, quod non ſemper co-  
ram Deo aliquis ſit ſecurus, licet diſpenſationem à Sede A-  
poſtolica obtinuerit, ſi legitima diſpenſandi cauſa deſit. Ne-  
que hanc eſſe juſtam excuſationem, quâ plerique ſe ſecuros  
exiſtimant dicentes: Papa diſpenſavit, ipſe viderit, ego ſum  
immunis.

Quia uti rectè monet Bellarminus episcopi ad Nepotem  
ſuum *Controv. 5.* "Hic cavillus ſecuros multos reddit, tu-  
tum verò neminem: quoniam Papa non eſt Dominus,  
& ſed diſpenſator; ideoque qui iniquam diſpenſationem pe-  
tit, iniquitatis cauſa eſt, & qui ea utitur, eadem ſemper ir-  
reſtitur iniquitate."

IV. Si forſan dicant, num cauſa ſufficiens ſubſit, Pontifi-  
ci expendendum relinquimus, & juſque conſilium experi-  
mus; reſcribitur poterit, quod ſimilibus olim dixit Bernardus  
Episc. 1. *Utinam non licentiam quaſiſſetis, id eſt, non ut li-  
ceret, ſed an liceret.*

Verendum lanè, ne pluribus à Sede Apoſtolica diſpenſa-  
tionem eſſagitantibus improperari queat illud quod ver-  
bis citatis ſubjungit Bernardus: "Malum in corde conce-  
perant, opere tamen auſi non ſunt adimplere niſi cum li-  
centia. Conceperunt dolorem, ſed non peperunt ini-  
quitate, donec in quo Papa conceptui præbuiſſet aſſen-  
ſum.... Quod tamen ſummum feciſſe Pontificem nequa-  
quam crediderim niſi aut circumventum mendacio; aut  
impertunitate victum."

V. Exponere quoque convenit diſpenſationem petere  
meditantibus, quomodo non ſit fatiſ, quod cauſa aliqua  
forſan de ſe ſufficiens ſubſit, hæcque verificari poſſit; ſed  
quod verificanda erit una ex cauſis in Romana Curia ad-  
miſſis; idque cum formula, quâ in litteris diſpenſationis ex-  
primi conſuevit.

VI. Oſtendendum inſuper, quomodo potestas diſpenſa-  
tionis ipſi Officiali delegari ſoleat ſub hac conditione, ſi pre-  
ces veritate nitantur: cujus conditionis effectus exponen-  
dus erit; atque demonſtrandum, quomodo ipſa diſpenſatio  
ſæpe periclitetur, quia hæc conditio impleri nequit; eo quod  
preces, prout in litteris juxta ſtylum Curie expreſſæ ſunt,  
verificari nequeant.

VII. Ad hæc monendi ſunt de aliis clauſulis hujusmodi  
diſpenſationem litteris inferi ſolitis; necnon inſtruedi ſu-  
per præſtando juramento, præſertim ſi diſpenſatio petatur  
ob inceſtum aut familiariorem converſationem præceden-  
tem.

VIII. Denique cum frequenter contingat in Parochiis  
ruralibus diſpenſationem poſtulari in forma pauperum,  
convenit ut Parochus exponat clauſulas ſpeciales, quæ in  
Reſcripto diſpenſationis in tali forma expedito inferi con-  
ſueverunt ex ſolito ſtylo Curie Romanæ.

IX. Ex his facile intelligitur, formularum & clauſula-  
rum, quæ hoc titulo propoſitæ & expoſitæ ſunt, notitiam  
non tantum Officialibus, quibus executio litterarum diſpenſa-  
tionum committi conſuevit, ſed & Parochis multum  
utilem, & quodammodo neceſſariam eſſe; ut nimirum ipſi  
ſubditis ſuis, quos mediante diſpenſatione contrahere velle  
ſciunt, proponant ea omnia, quæ obtentâ diſpenſatione ve-  
rificare ac facere tenebuntur; eoſque moneant, ut ſerio at-  
tendant, priuſquam ſupplicam ſuam Romam mittant ex-  
penſatque faciant vel rumor de ineundo Matrimonio ſpar-  
gatur, num reverà credant ſe ea omnia verificaturos, &  
quidem illâ certitudine, ut Matrimonium de nullitate non  
periclitetur; nec non juramenta præſtanda cum veritate  
præſtituros.

X. Unde, teſte Pyrro Corrado, nonnulli Episcopi in  
Synodo Diceceſana ad hos errores vitandos mandare ſo-  
lent, ut cum Parochi de prohibitis Matrimonii verba fa-  
ciunt, diligenter doceant & cautè demonſtrent, nullo modo  
cenſeri diſpenſatum, niſi verificatis narratis; ac præcipuè, ut  
in ſupplicationibus curent verum exprimi.

TITU-

## TITULUS XV.

### De Divortiis & ſecundis Nuptiis.

#### CAPUT I.

De Divortio quoad vinculum; & Con-  
verſione conjugatorum.

1. Divortium dupliciter ſumitur.
2. Matrimonium legitimum non ratum facilius diſ-  
ſolvitur quam Matrimonium ratum.
3. Matrimonium legitimum Infidelium non ſemper  
diſſolvitur altero conjugum ad fidem converſo.
4. Licet etiam impedimento dirimente fuerit contra-  
ctum.
5. Poſſe conjux converſus ad alias nuptias tranſire,  
ſi alter tenuit ſine contumelia Creatoris converſo  
cohabitare.
6. Hic tamen recipiendus, ſi convertatur ante tranſi-  
tum prioris ad alias nuptias.
7. Matrimonium ratum non conſummatum interdum  
quoad vinculum diſſolvitur.
8. Jam pridem per profeſſionem Religioſam Matrimo-  
nia credebantur diſſolvi.
9. Id Alexander III. intellexit de Matrimonio rato  
non conſummato.
10. In probationem hujus diſſolutionis adducuntur ex-  
empla Sanctorum.

11. Diſſolutionem hanc probavit Synodus Tridentina.
12. Efficacia diſſolvendi Matrimonium ratum, non vo-  
to ſolenni, ſed profeſſione ſolenni tribuitur.
13. Matrimonium conſummatum juxta ſacros Cano-  
nes per profeſſionem Religioſam non diſſolvitur  
quoad vinculum.
14. Poſt conſummationem Matrimonii non licet con-  
jugi altero invito profeſſionem Religioſam emi-  
tere aut continentiam vovere.
15. Qui ſine conſenſu conjugis intravit Monasterium,  
ad eum redire compellitur.
16. De conſenſu mutuo licet conſurgat continen-  
tiam vovere & Religionem ingredi.
17. Uno conjugum Religionem ingrediente ordinariè al-  
ter etiam ingredi debet; & quare?
18. Sacri Canones non permittunt uxorum in Episco-  
pum ordinari, niſi ſe ſux uxorem continentiam voveat,  
& veſtem religioſam aſſumat.
19. Ratio hujus diſciplina.
20. Providendum ne uno conjugum Monasterium in-  
greſſo aliter de incontinentia fiat ſuſpecta, aut ejus  
periculum incurra.
21. In hac conjugum ſeparatione convenit ut interpo-  
natur auctoritas Episcopi.
22. Ob adulterium non diſſolvitur Matrimonium quo-  
ad vinculum.

**I**nvortium ſumitur dupliciter. Primò  
quidem, idque frequentius, pro diſſo-  
lutione Matrimonii quo ad vinculum  
dicitur que hæc diſſolutio propriè Di-  
vortium. Secundò accipitur pro ſepa-  
ratione conjugum quo ad thorum & cohabitationem, du-  
rante interim adhuc Matrimonii vinculo; hæcque ſepara-  
tione conjugum improprie Divortium appellatur.

II. Quo ad Divortium primo modo ſumptum, i ndubi-  
tatum eſt, illud faciliſ aditu circa Matrimonium legiti-  
mum non ratum, quàm circa Matrimonium ratum, licet

non conſummatum; quamvis & quo ad Matrimonium  
ratum tantum aliquando admittatur.

Matrimonium legitimum non dicitur Matrimonium  
inter Infideles ſive non baptizatos ſecundum eorum leges  
& inſtituta contractum.

III. Hoc Matrimonium rationem contractus civilis  
dumtaxat habens, neque ad rationem Sacramenti hæcenus  
elevatum, indiſſolubilitatem ex Chriſti inſtitutione non  
habet; altero tamen ad fidem converſo, altero in Paganif-  
mò ſeu infidelitate remanente, ſeparationem vetuit Eccleſia  
ſua; ut per converſionem unius conjugis & alter ſalvari  
poſſit; eum juxta Apoſtolorum 1. ad Corinth. 7. contingat  
ſanctificari virum infidelem per mulierem fidelem & c.  
contra.

IV. Imò etſi inter ipſos Infideles tempore contractus  
matrimonialis interceſſerit impedimentum dirimens, non  
tamen propterea conjux ad fidem converſus ab alio ſepara-  
ri debet; modo impedimentum illud non à jure nature; ſed  
à jure merè poſitivo inductum ſit; ſuper quo Eccleſia  
diſpenſat, "in favorem præſertim Chriſtianæ Religionis &  
fidei à cujus perceptione, per uxores ſe deſeri timentes vi-  
ri, poſſunt facile revocari," ait Pontifex in Cap. 8. De  
Divortiis.

V. Addit tamen Pontifex hanc exceptionem, "Niſi poſt  
converſionem illa renuat cohabitare cum ipſo, aut eti-  
amſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Crea-  
toris, vel ut eum pettrahat ad mortale peccatum: in quo ca-  
ſu reſtitutionem petenti, quamvis de injuſta ſpoliatione  
conſtaret, reſtitutio negaretur: quia ſecundum Apoſto-  
lum: Frater aut ſoror non eſt hujusmodi ſubjectus ſervi-  
tuti: hoc eſt, poterit conjux fidelis tali caſu tranſire ad no-  
vas nuptias."

VI. Deinde ſubjungit Pontifex: "Quod ſi converſum ad  
fidem & illa converſa ſequatur ante, quàm propter præ-  
dictas cauſas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere  
compelletur."

Porrò cum rarus circa hujusmodi Matrimonium diſſo-  
lutionem caſus incidat, plura dicere neceſſe non eſt; ſi quan-  
do caſus occurrat, facile conſili poterunt Commentatores  
ad citatum Cap. 8. & 7. eodem tituli.

VII. Matrimonium ratum non conſummatum, quam-  
vis ſit perfectum in ratione Matrimonii ante Conſumma-  
tionem; facilius ſolvi nihilominus quo ad vinculum, quàm  
Matrimonium ratum & conſummatum, nemo Catholico-  
rum dubitat.

VIII. Et quidem illud diſſolvi per profeſſionem Religio-  
ſam non obſcurè expreſſum eſt apud Gratianum *Caus. 27.*  
*q. 2. can. 26.* ibi ex epistola Nicolai I. reſertur hoc frag-  
mentum Nam licet ſcriptum ſit, quod Deus conjunctis  
homo non ſeparet, Deus tamen, & non homo ſeparat,  
quando divini amoris intuitu ex conſenſu utriuſque con-  
jugis matrimonia diſſolvuntur.

Hic quidem non ſat clarè exprimitur, num per Matri-  
monia de quibus hic agitur, intelligantur rata tantum, an  
generaliter rata & conſummata; ſed Eccleſia hos alioſque  
Canones de hac diſſolutione loquentes, de Matrimonio ra-  
to tantum intellexit; hocque per profeſſionem diſſolvi poſ-  
ſe, nequaquam autem Matrimonium conſummatum, de-  
claravit.

IX. Alexander III. reſcribens Salernitano Archiepiſcopo  
in Cap. 2. De Converſione conjugatorum ait: "Verum  
poſt conſenſum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri  
altero etiam repugnante eligere Monasterium, dummodo

Uu 4

647.